gidum sicut iubar solis coadunatum est totum
in manu eius. Sic ergo post hoc factum mira
bile reuersus est spiritus meus in corpus meum
ualde fessus et contritus.

De fine Imperii karoli tercii et
Imperio Arnulfi Sigebertus.

F. Post hanc visionem vix duobus annis su
peruixit karolus. Itaque karolus im
perator zelatus uxorem suam pro eo quod plus
iusto familiaritatem ageret cum Luitwardo
Vercellensi episcopo. protestatur in concione se num
quam cum ea coisse. Illa uero uirginem se esse
glorians. accepto repudio monasterium
petiit. Tandem anno imperii sui xii. karo
lus corpore et animo deficiens ab optima
tibus regni repudiatur. et arnulfus filius
karlomanni regis fratruelis eius in regnum
sublimatur. Anno scilicet domini. dccc. xci. mu
di uero. iiii. dccc. liiii. et regnat annis xii.
Hic arnulfus patruo suo karolo ex mi
patione etiam necessariis egenti. fiscos in
alemannia delegauit. Qui sequenti anno
obiit et sepultus est in Swevia in Insu
la que dicitur augya maior et wlgariter
die Riche Owe. in monasterio sancte marie
ordinis sancti Benedicti iuxta flumen alrene.
Romanum imperium et regnum francorum in
se se discerpitur. In ytalia nempe Beren
garius et Wido de regno contendunt. Fran
ci uero neglecto karolo filio Ludewici bal
bi puero vix decenni. regem sibi preficiunt,
Odonem filium Ruberti ducis qui a nor
mannis occisus super diximus. Rodolfus autem
corona sibi imposita rex burgundionum sta
tuit. quod regnum multo tempore durauit.

De uita et legenda sancte Rigardis. que fuit
uxor legitima karoli tercii predicti.

Tota mentis deuotione
huius beate uirginis
Richardis cuius hodie
festa celebramus agi
mus memoriam. in qua
miram dei graciam in
tueri possumus et potenciam. cuius dilatio
sibi mixto fidelibus gaudio uirginibus ex
emplo. super omnia autem diuine clementie
recitanda est miraculo. Si enim consideremus
singula que in eis sunt facta inueniemus ei
meritum tanto altius quanto meritum pa
rium est rarius. Nam rarissimum est im
mo homini impossibile. nisi per auxilium
diuine potencie. aliquem in medio ignis
non ardere, Coniugatam uirginem esse. deli
ciarum affluencium non mergi inundacione.
nec a proposito uirginitatis. declinare
temporum dilatione. que plerumque tedio et
pessimis studium sancte conuersacionis minu
unt in corporibus etiam robustioris conditionis
sexus infirmioris. Que omnia dum scru
tamur merito huius beate uirginis castitatem
in castitate. fortitudinem in fortitudine per
seuerantie patientie miramur. maxime cum
affluerent regalibus deliciis que uix aut
raro uel nunquam cessauit seruire car
nalibus uiciis. et propositum uirginitatis
quem alii uix alii minime. seruant in profes
sione. quam in professione coniugalitatis
seruauit integritatem uirginitatis.
nec minuit in ea dilatio temporis. nec
alliciens ad peccandum affluencia deli
ciarum. Erat enim nobilissima genere.
pulchra facie pulchrior fide. ita diues
ita religionis cultu adornata. sicut impera
trix romani imperatoris sponsa. et sub
marita obediencia permansit incorrupta.
ex diuina prouidencia plusquam decen
nio matrimonio copulata sibi uirgi
nitatem a uiro suo cognita. non querens
occasionem discidii sub nomine uirginitatis.
Sed uirginem se seruans sub nomine coniugii
sic. ut meritum eius tanto diuino co